

1440 ierit. Castra in Arcuana planitie aliquot dies habita; ubi multi ob immensa frigora absumpti dicuntur. Mellita quoque ob hyemis inclementiam subito corporis & animi lapsu concidit: pene exanimis Veronam secundo Athe- si est delatus. Tum Sforcia frigoris magnitudine, hostiumque pertinacia victus in hyberna concessurus, Ciarbellionem & Troilum cum viris circiter trecentis & com- meatu aliquo Brixiam per montes transmisit. Fama erat, Brixien- ses ad eam rerum omnium inopiam pervenisse, ut jam a nullo infando cibo abstinerent. Constabat ad hæc, per eos dies quibus Verona in hostium potestatem vene- rat, desperatis rebus, publice cœptum fuisse agi de dedi- tione faciendâ: quæ omnino secuta esset, nisi Barbarus opportune in concionem venisset, vehementique oratione rem tum primum motam oppressisset. Constabat ad hæc, Picininum & Gonzagam Philippi jussu misisse, qui ali- quanto attentiore cura Brixien- ses intra mœnia contine- rent, prospicerentque diligenter, ne quid commeatus ali- cunde illis importaretur. Post itaque Sforcianorum adven- tum ad Francacurtam, sive, ut alii dicunt, ad Gufac- cum, in Philippi copias est pugnatum: qui antelucano Sforcianorum incur- su territi ac fugati, trecentos equites amisere. Et ut urbem obsidione & fame aliqua ex parte levatam, multitudine quoque levarent, per montes qua venerant, ad Sforciam ductores ipsi in hyberna rediere. Classis interim circa Turbulas studio instruebatur: quod opus iccirco est aliquanto segnius confectum, quia, Ve- rona capta, fabris ea trepidatione dilapsis, per aliquot dies fuerat intermissum. Hic quum navale opus atque opifices ipsos frequens per brumam Mellita obiret, ob in- gentia frigora concidisse, & non in castris, a quibusdam traditum reperio. Reliqua hyberna ob hyemis magnitudi- nem aliquanto quietiora fuere.

Percrebuit rumor, sub veris initium Joannem Corneta- num, Vitelia familia ortum, qui Eugenianis copiis præ- erat, quique ob ingentes quos aiebat spiritus, merito erat vel ipsi Pontifici suspectus, cum Philippo & Picinino clan-

*Commeatus
media fere
hyeme per
montes in
Brixiam ap-
portatur.*